

# EPISTULA LEONINA

## CCXLV

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM QUADRAGESIMAM QUINTAM (245) !**

## **ARGUMENTA**

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03-04</b>
<b>BONI PASTORIS EST.....</b>	<b>05</b>
<b>ECCE ANDREAS FRITSCH OCTOGENARIUS.....</b>	<b>06</b>
<b>MAGISTER MAGISTRORUM LATINITATIS.....</b>	<b>07-09</b>
<b>SYMBOLA WIKIPEDIANA QUAE SPECTAT AD IUBILARIUM.....</b>	<b>10-12</b>
<b>ECCE VIR CUI SERMO LATINUS EST TAMQUAM PATRIUS.....</b>	<b>13-16</b>
<b>CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA.....</b>	<b>17</b>
<b>CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA.....</b>	<b>18-19</b>
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE.....</b>	<b>20-26</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>27-29</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>30-33</b>

## PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*utinam saltim aliquatenus mediocriter valeas isto in tempore pluvioso, ventoso, nebuloso. Perfer et obdura et carpe diem! Noli oblivisci autumnum ferre etiam fructūs sapidissimos. Nullā autem ratione melius protegi atque confirmari systema tuum immunitatis quam fructuum holerumque recentium comestione necnon corporis subdiali exercitatione cottidianā.*

*Sunt etiam tempore autumnali quidam dies lucidi laetique, quibus sol nobis arrideat et animi nostri refocillentur. Tali die Leoni Latino maximē placuit laudare cari sodalis merita insignissima, qui Latinitatem vivam iam per plus dimidium ferē saeculum mirabiliter fovet atque exauget, Leonis quoque opusculis semper favens magnā cum benevolentiā. Eiusdem enim sodalis maximē honorabilis nuper celebratus est dies natalis octogesimus. Hoc iubilaeum extraordinarium Leoni causae fuit, ut Epistulam suam ducentesimam quadragesimam quintam dedicaret **ANDREAE FRITSCH**, qui est philologiae classicae et disciplinae didacticae Professor emeritus Berolinensis, necnon Latinitatis vivaे auxiliator, animator, amplificator admirabili ingenio atque industriā praeditus. Itaque editor huius Epistulae Leoninae tres textūs in sodalis honorem scriptos veste Latinā ornavit. Ad multos annos, εἰς πολλὰ ἔτη, Andrea carissime! Gratias tibi agimus ingentes et immortales, quod nos ditificas tantis operibus mirabilibus!*



**ANDREAS FRITSCH  
PROFESSOR EMERITUS**

*Ergo – ut ait Apuleius Madaurensis in Asini Aurei prooemio -  
»Lector (Lectrixve) intende: laetaberis«. Pancraticē vale et  
perge mihi favere.*

***Medullitus te salutat***

**Dr. Nicolaus Groß  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**




<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Mercurii  
27. m.Oct. a.2021**




**BONI PASTORIS ESSE  
TONDERE PECUS  
NON DEGLUBERE**

**SUETONIUS**  
**Vita Tiberii 32,2**

**SUETONIUS, Vita Tiberii 32,2** Parem moderationem minoribus quoque et personis et rebus exhibuit. Cum Rhodiorum magistratus, quod litteras publicas sine subscriptione ad se dederant, evocasset, ne verbo quidem insectatus ac tantum modo iussos subscribere remisit. Diogenes grammaticus, disputare sabbatis Rhodi solitus, venientem eum, ut se extra ordinem audiret, non admiserat ac per servolum suum in septimum diem distulerat; hunc Romae salutandi sui causa pro foribus adstantem nihil amplius quam ut post septimum annum rediret admonuit. Praesidibus onerandas tributo provincias suadentibus rescripsit **boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.**

# **ECCE ANDREAS FRITSCH OCTOGENARIUS**



**Andreas Fritsch  
\*d.2. m.Sept. a.1941  
Professor emeritus Berolinensis  
philologiae classicae et disciplinae didacticae  
Latinitatis vivae auxiliator animator amplificator  
admirabili ingenio atque industriâ praeditus**

**OMNIA SPONTE FLUANT ABSIT VIOLENTIA RERUM  
IOHANNES AMOS COMENIUS**

# MAGISTER MAGISTRORUM LATINITATIS

**Perseverantiam effici variatione:  
Andreas Fritsch 80 annos natus**

*Symbola originalis in diem natalicium Professoris Andreeae Fritsch scripta d.2. m.Sept. a.2021 divulgata est in Communibus Actis Diurnis Francofurtensibus (FAZ, i.e. Frankfurter Allgemeine Zeitung, p.11, titulus: „Lehrer der Lateinlehrer. Ausdauer dank Abwechslung: Andreas Fritsch wird 80“). Theodiscê scripsit Uwe Walter Biliveldensis<sup>1</sup> professor historiae antiquae, in Latinum convertit Leo Latinus.*

Nonnullis septimanis ante *Amici Studiorum Classicorum* inter se consociati in Bochumensi Universitate Rurinnae disputationem interretialem habuerunt, cui hunc titulum imposuerant insignem: »De studiis classicis a colonialismo liberandis<sup>2</sup>. Urbanê atque moderatê rationibusque politices socialis theoriaeque scientificae relatum est de argumentis, quae nunc in disceptatione proferuntur Americanensi. *Daniel Wendt* opinionem suam his in actis diurnis acriter defensam<sup>3</sup> rededit ad exemplum practicum: romanas familias exemplares in libris germanicis linguae Latinae didacticis depictas omnes esse cutis albae, necnon servos ibidem videri paene familiares amatos; hoc facile posse mutari. Adversus hoc conamen disputationem reducendi ad rem a sensibus minus abstractam<sup>4</sup> tamen quidam magister Latinitatis postea aridê adnotavit res hîc tractatas omnes quidem esse dignas auditu, sed nullo modo spectare ad ea, quae reverâ agerentur in scholâ – ibidem enim agi de ablativo absoluto deque munere linguam Latinam docendi sub condicionibus etiam etiamque difficilioribus. Tum adnuerunt multi huius colloquii zoomiani participes<sup>5</sup>.

---

<sup>1</sup> Bielefeld, cfr GRAESSE/ BENEDICT, Orbis Latinus oder Verzeichnis der wichtigsten lateinischen Orts- und Ländernamen, 2.Auflage, Berlin 1983, p.46: „Bilivelda, Bilveldia, Bilefeldia, Bielefeld, St., Preußen (Westfalen).“

<sup>2</sup> orig.: „Decolonizing Classics“.

<sup>3</sup> orig.: „in dieser Zeitung begründete scharfe Parteinahme“. Symbola in Communibus Actis Diurnis Francofurtensibus d.12. m.Apr. publicata, quae inscribitur: «Weiße Reformer erwünscht» et incipit ab his verbis quae sequuntur: “Wieso ist es nötig, die Wissenschaften vom Altertum zu ‚dekolonisieren‘? Weil die Frustration über Wissenschaftspraktiken das Misstrauen der nichtweißen Bevölkerung gegenüber dem politischen System verstärkt....“.

<sup>4</sup> orig. „Erdungsversuch“.

<sup>5</sup> orig. „Nicken auf vielen Zoomkacheln“.

Etiam *Andreas Fritsch*, didacticus linguae Latinae, si quidem adfuisset, magistro certē assensus esset verbis efferenti, quantum valerent in institutione scholari cottidiana linguae ipsius tractatio atque exercitatio. Cum illi, qui litteras classicas non tractant nisi translatione utentes, semper periculum subeant, ne a re propriē tractandâ multimodis aberrent<sup>6</sup>, e contra ii discipuli viam ad mundos ferentem, in quibus Romani (et Graeci) versati sunt, ingrediuntur firmissimam, qui studeant discere ipsum sermonem textuum originalem – qui dicitur difficilis esse nec disci posse nisi magno cum labore atque perseverantiâ.

Quaenam esset ratio Latinam linguam discendi optima, hoc indagabat *Andreas Fritsch* magister et gymnasialis et universitarius. Didacticam disciplinam linguae Latinae instituendae idem vir doctus in Silesiâ natus per spatium plus quadraginta annorum docuit, denique Berolini, in Liberâ Universitate, interdum etiam in Humboldtianâ; praeterea iterum iterumque institutionem habebat in variis scholis. In scriptis suis valdē multiplicibus et passim publicatis prius quam alii philologi studuit ratione criticâ investigare, quomodo tractatae essent linguae antiquae tempore socialismi nationalis et antea.

Etiam maturē Andreas Fritsch cognovit, ad argumentum vulgare refutandum, quo Latinitas dici solet esse emortua, quam utile esset Latinē loqui sermonemque Latinum ita adhibere vivum, ut fiant vera colloquia. Scilicet eundem philogum numquam desivisse cum magistris cooperari in componendis libris scholarum didacticis<sup>7</sup>. Ut adiuvaret magistros Latinitatis, qui volebant varietatem lectionis augere, sed bonitatem non deminuere, Andreas Fritsch pro suā subtilitate didacticā atque paedagogicā textūs Phaedri necnon bibliae Latinae ita tractavit, ut legi possent in institutione scholari. Neque idem vir doctus parvi pendebat munus maximē necessarium, quo plus laboris solet exanclari quam accipi gloriae: Per plus viginti quinque annos Andreas Fritsch redactor<sup>8</sup> rationem reddidit periodici associationis palaeophilologorum<sup>9</sup> religendi.

---

<sup>6</sup> orig. „Während ‚Classics in Translation‘ für alle möglichen Diskurseskapaden anfällig sind...“

<sup>7</sup> orig. „die Mitarbeit an Lehrwerken für die Schule gehörte zu seinem Portfolio.“

<sup>8</sup> orig. Schriftleiter.

<sup>9</sup> orig. Altphilologenverband.

Idem professor nunc octogenarius, ut est latinista curiosus necnon magister amore docendi imbutus, ex longo iam tempore investigat opus Iohannis Amos Comenii paedagogi moraviani, qui saeculo septimo decimo non solum ipsam indolem infantium perscrutatus coepit artem paedagogicam excolere, sed etiam multimodis exauxit disciplinam linguae Latinae didacticam. Aliquamdiu Andreas Fritsch fuit praesidens Germanicae Societatis Comeniana. A.2014 idem philologus nomismate Comeniano Pragensis Musei Paedagogici Nationalis necnon Bibliothecae Comeniana exornatus est. Nuper Professor Fritsch in epistulâ editoribus Communium Actorum Diurnorum Francofurtensium missâ Romanam Ecclesiam Catholicam necnon ipsum Papam vituperavit, quod Latinitatem negligerent. Hodie (d.2. m.Sept. a.2021) *Andreas Fritsch* Berolinensis Professor philologiae atque didacticae iubilarius celebrat diem natalem suam octagesimam.

**UWE WALTER** Professor historiae antiquae Biliveldensis

[https://de.wikipedia.org/wiki/Andreas\\_Fritsch\\_\(palaeophilologus\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Andreas_Fritsch_(palaeophilologus))

**Andreas Fritsch** (qui est natus d.2. m.Sept. a.1941 in Silesiae oppido *Guhrau* (quod hodie appellatur *Góra* et spectat ad Poloniam). Ídem vir doctus est Germanus palaeophilologus, qui imprimis incumbit in Latinam linguam litterasque Latinas earumque didacticam tractandas.

### **Curriculum vitae cursusque honorum**

Abiturio a.1960 Berolini superato Andreas Fritsch in Berolinensis Universitate Liberâ et Monasterii Vestfalorum studuit paedagogiae cognoscendae necnon maturê deditus est disciplinae scholari Latinitatis. Examine publico primo (a.1964) et altero (a.1966) superato munus suscepit magistri scholaris. Ex anno 1969 Fritsch docuit in Berolinensi Academiâ Paedagogicâ<sup>1</sup>, anno 1972 titulo professoris ornatus est. A.1970 praeterea in Liberâ Universitate Berolinensi mandatum accepit didacticam linguae Latinae docendi. Ab a.1980 usque ad a.2007 ídem vir doctus fuit professor Universitatis liberae, a.1987 honoratus est titulo professoris universitarii. Praeterea per novem annos variis in scholis discipulos instituit linguâ Latinâ. Ab a.2001 usque ad a.2007 Andreas Fritsch in Berolinensi Universitate Humboldtianâ docuit disciplinam didacticam Latinitatis.

Ídem latinista compluries munera suscepit universitatis administranda; fuit enim director *Instituti disciplinae didacticae linguarum litterarumque*, *Instituti disciplinarum didacticarum centralis*, necnon *Instituti philologiae Graecae et Latinae Liberae Universitatis Berolinensis*.

### **Provinciae ab Andreâ Fritsch specialiter tractatae**

Provinciae investigandi, quas ídem philologus maximê tractavit, sunt hae quae sequuntur:

- historia et ars didactica institutionis Latinae, praesertim recensio et compositio librorum didacticorum,
- Phaedrus auctor in scholâ legendus
- Vulgata biblia Latina in scholâ legenda

---

<sup>1</sup> orig. Pädagogische Hochschule Berlin.

- Latinitas Viva, i.e. incitamenta ad Latinê loquendum
- institutio linguarum antiquarum, quae habita est tempore socialismi atque rei publicae Vimarianae
- studia, quae spectant ad Comenium (1592-1670)
- studia, quae spectant ad Fridericum Gedike (1754-1803) reformatorem scholarum Borussiae

### **Quatenus extra regionem Berolinensem meritus sit**

Ex anno 1991 Fritsch est redactor periodici, c.t. „*Mitteilungsblatt des Deutschen Altphilologenverbandes*“, cui a.1997 impositus est titulus *Fori Classici*. Ab a.2005 usque ad a.2013 idem latinista didacticus fuit praesidens Germanicae Societatis Comeniana et ex a.2005 sodalis Romanae Academiae Latinitati Fovendae (ALF). In diem natalem sexagesimum ei dedicatus est tomus quinquagesimus seriei *Auxiliorum*, quae editur a *Friderico Maier (Alte Texte in neuem Rahmen)*, tomus a *Stephano Kipf* editus), in diem natalem septuagesimum Andreae Fritsch dedicata est Bibliographia ad institutionem linguae Latinae 2 adhibenda sive Clavis Didactica, quam Bambergae a.2011 ediderunt *Stephanus Kipf* et *Marcus Schauer*.

### **Honores Andreae Fritsch attributi**

Die 2. m.Dec. a.2013 Andreas Fritsch honoratus est *Foederali Cruce Meritoria Classis Primae*, quia idem meritus est de linguâ litterisque Latinis earumque arte didacticâ. D.26. m.Iunii a.2014 a Nationali Museo et Bibliothecâ Paedagogicâ Iohannis Amos Comenii Pragensi (*Národní pedagogické muzeum a knihovna J. A. Komenského*) eidem latinistae excellentissimo attributum est *nomisma Comenianum*. „pro excellenti cooperatione proque scientiâ ac praeceptis Iohannis Amos Comenii in Germaniâ divulgatis“.

### **Literatur**

- *Wer ist wer? Das deutsche Who's Who?* Verlag Schmidt-Römhild, 2009/2010.
- *Who is Who in der Bundesrepublik Deutschland.* 3. Ausgabe. Zug/Schweiz 1994.



ECCE PROFESSOR ANDREAS FRITSCH FOEDERALI CRUCE MERITORIĀ DECORATUS MANIBUS TENET LIBRUM LINGUAЕ LATINAЕ DIDACTICUM, CUIUS CONFICIENDI ATQUE EDENDI PARTICEPS FUIT: CURSUS. Oldenbourg Schulbuchverlag, München 2005, [ISBN 3-486-87705-4](#).

- Uwe Walter: *Lehrer der Lateinlehrer. Ausdauer dank Abwechslung: Andreas Fritsch wird 80*, in: FAZ Nr. 203, 2. September 2021, S. 11.

## INDEX OPERUM PROFESSORIS ANDREAE FRITSCH

<https://www.klassphil.hu-berlin.de/de/personen/fritsch>

[https://www.fu-berlin.de/campusleben/vorgestellt/2014/140331\\_andreas-fritsch/index.html](https://www.fu-berlin.de/campusleben/vorgestellt/2014/140331_andreas-fritsch/index.html)

# „Ecce vir cui sermo Latinus est tamquam patrius“<sup>1</sup>

## **Andream Fritsch Latinitatis didacticum Foederali Cruce Meritoriâ esse honoratum**

d.31.m.Mart. a.2014



*Andreas Fritsch palaeophilologus (a sinistris) accepit Foederalem Crucem Meritoriam e manibus  
ipsius Knut Nevermann, Berolinensis secretarii publici scientiarum, sibi oblatam.*

Professor Andreas Fritsch: „Latinitas“ inquit „est disciplina quodammodo clavis traditionis Europaea ideoque habet vim fundamentalem<sup>1</sup>.“ Ex decenniis hic didacticus Latinitatis, qui etiam extra Germaniam in claritudinem pervenit, id curat, ut scholae et universitates et uniones philologorum melius inter se cooperentur. Quia de scientiis litterisque deque linguae Latinae arte didacticâ necnon de studiis socialibus multiplicibus optimè meritus est, idem vir doctus septuaginta duos annos natus nunc honoratus est Cruce Meritoriâ Primae Classis Rei Publicae Foederalis Germanicae.

<sup>1</sup> orig.: „Ein lateinischer Muttersprachler.“

<sup>1</sup> orig. „ist elementar wichtig.“ cfr Nova Acta Eruditorum anno 1776 publicata. Lipsiae 1782, p.343: „...diversas esse potentias...modificationum instar transfundendas esse in vim fundamentalem seu primitivam...“

Iam illo tempore, quo fuit discipulus Collegii Canisii Berolinensis, Andreas Fritsch se praestitit esse amatorem Latinitatis fervidum eiusdemque linguae visus est cultor et magister futurus: Post abiturium a.1960 superatum idem Berolini in Liberâ Universitate et Monasterii Vestfalorum studuit scientiae paedagogicae cognoscendae et specialiter incubuit in disciplinam Latinitatis docendae scholarem.

Iuvenis Latinista cursum suum honorum academicum incohavit sexagenariis annis finitis in Berolinensi Academiâ Paedagogicâ. Ibidem a.1972 factus est Professor disciplinae didacticae linguae litteraturaeque Latinae – propter „praestationes aequivalentes<sup>1</sup>“ – sine promotione et habilitatione. Ex anno 1980 Fritsch docuit in Liberâ Universitate Berolinensi, ubi cum ceteris tum muneribus functus est directoris Instituti didactices linguarum litterarumque, Instituti disciplinarum didacticarum necnon Instituti Philologiae Latinae atque Graecae.

Idem paedagogus hodie magnâ cum reverentiâ praeceptorum sui collegarumque recordatur studia sua academica et commercium communium operum scientificorum. Itaque Fritsch: „Amore disciplinae paedagogicae historicae“ inquit “imbutus sum a *Professore Vilelmo Richter* qui fuit praeceptor meus in Berolinensi Academiâ Berolinensi; disciplinam didacticam ut scientiam institutionis scholaris empiricam intellexi *Wolfgangi Schulz* gratiâ, collegae mei maioris natu, qui unâ cum aliis condidit eam didacticam, quae in scientiâ educatorî appellari solet «Berolinensis».” Quod attineat ad philologiam, se grato semper animo meminisse imprimis *Manfredi Fuhrmann* interim mortui necnon *Professoris Michaelis de Albrecht Heidelbergensis* emeriti quidem, sed usque nunc studia sua docta continuantis cum sedulitate fecundâ.

Ab anno 2001 usque ad annum 2006, quo rude donatus est, Andreas Fritsch effectu cuiusdam cooperationis Liberae Universitatis et Humboldtianae docuit etiam in Humboldtianâ. Idem palaeophilologus adhuc est unus ex praepositis Germanicae Societatis Comeniana, antea usque ad annum 2013 fuit eiusdem Societatis praesidens. Ab

---

<sup>1</sup> orig. „gleichwertige Leistungen“. +aequivalens, -entis: cfr MLW (Mittellateinisches Wörterbuch) I,313: „aequivalens, -entis *qui eiusdem pretii est, aequipollens – gleichwertig.*“

eâdem autem foventur investigationes atque publicationes, quae spectant ad opus Iohannis Amos Comenii, qui fuit theologus, philosophus necnon paedagogus excellens saeculi septimi decimi.

### **Eundem virum doctum studia academica et praxin institutionis scholaris artê inter se coniunxisse**

Praeter studia sua scientifica Andreas palaeophilologus optimê famatus eo quod etiam variis in scholis Berolinensibus discipulos instituit linguâ Latinâ, studia sua academica et praxin institutionis scholaris artê inter se coniunxit. Eodem viro auctore Berolini exorta est cooperatio scholarum et universitatum et unionum philologorum linguas antiquas colentium, qualis in reliquâ parte Germaniae est omnino nulla. *Knut Nevermann*, publicus secretarius Berolinensis scientiarum, in laudatione suâ, quam habuit in Crucem meritoriam attribuendam, dixit Andream Fritsch ratione exemplari demonstravisse modernos didacticos disciplinarum opera fecunda atque continua praestare non posse, nisi agerent consideratione historicâ nixi.

Philologia ab Andreâ Fritsch exaucta est symbolis operibusque, quae scripsit de Comenio didactico et Phaedro poetâ apologetorum. Professori septuaginta duos annos nato maximê cordi est sermonem Latinum colere vivum et loquelarem, quem divulgare studet indefessê. Fritsch moderatus est circulis Latinê colloquendi necnon usque nunc naviter curat, ut in provinciis palaeophilologiae atque didacticae fiat commercium nationale et internationale. Collega eius *Stephanus Kipf* Professor Instituti Philologiae Classicae Universitatis Humboldtianae in oratione suâ in crucem meritoriam attribuendam habita: „Qui quaerit“ inquit „locutorem linguae Latinae nativum, inveniet Andream Fritsch Berolinianum verê genuinum<sup>1</sup>.“

### **Cruciger pergit exanclare labores suos scientificos**

Andreas Fritsch plus quingenta scripta variae amplitudinis publicavit, neque septem annis postquam rude donatus est idem vir sedulissimus indefessê pergit publicare. Ex anno 1991 Fritsch est redactor *Fori Classici*, i.e. periodici Latinitatis atque Graecitatis in scholis docendis, necnon unâ cum aliis êdit librum annalem Comenianum. Andreas

---

<sup>1</sup> orig.: „Wer einen lateinischen ‚native speaker‘ sucht, findet ihn in dem Ur-Berliner Andreas Fritsch“,

philologus mirabili ingenii ubertate praeditus pergit scripta publicare et acroases facere in conferentiis seminariisque internationalibus.

Mense Aprili Fritsch Aeniponti in conventu Unionis palaeophilologorum Germanicae denuo instituet officinam Latinitatis vivae. Nevermann secretarius publicus: „Andreas Fritsch“ inquit „nobis exemplo est eo quod honoris causâ suscipit munera saluti communi utilia seque iterum iterumque praestat hominem comitate lepidissimâ summâque liberalitate praeditum.” - Ídem didacticus Foederali Cruce Meritoriâ honoratus nequaquam videtur desistere velle a docendo et investigando. Denique Andreas Fritsch nobis affirmat quidquid ipse egerit sive in rebus privatis sive in professionalibus, se semper hoc egisse secundum praeceptum Comenii paedagogi, quod sit: *Omnia sponte fluant; absit violentia rebus.*

**Scripsit Lena Pflüger, in Latinum convertit Leo Latinus.**



## **CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA**

Zum Kunstgroßereignis in Paris September 2021

**ARCVS TRIVMPHI VBIQVE IN ORBE  
 PERNOTVS A CHRISTO ARTIFICE  
 INGENIOSO ANNO PRIORE DEFVNCTO  
 PARISIIS QVASI EX INFERIS VELATVR**

Der weltbekannte Arc de Triomphe wird vom im Vorjahr verstorbenen genialen Künstler Christo in Paris gewissermaßen aus dem Jenseits heraus verhüllt.

**hdf**

Zum 6. September 2021

**IEAN PAVL BELMONDO INSIGNIS HISTRIO  
 FRANCOGA LLICVS LXXXVIII ANNOS GENITVS  
 PARISIIS OBIVIT**

Jean-Paul Belmondo, berühmter französischer Schauspieler, ist im Alter von 88 Jahren in Paris gestorben.


**hdf**

# **CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA**

## **Petrus Damiani Buck von Gebenstorf OSB**

\* 3. Oktober 1871 in Rieden, Kanton Aargau als Robert Buck

† 25. September 1940 in Einsiedeln, Kanton Schwyz



TER QVINQVAGINTA ANNIS ANTE  
 V NONAS OCTOBRES NATVS  
 PETRVS DAMIANI BVCK OSB  
 PATER STRENVVS  
 EXPLORATOR NATVRAE INSIGNIS  
 ATQVE  
 OECOLOGISTES NOBILIS

**MMXXI**

Petrus Damiani Buck OSB  
 wurde am 3. Oktober vor 150 Jahren geboren.  
 Er war ein tüchtiger (Benediktiner-)Pater,  
 ein ausgezeichneter Naturforscher  
 und ein berühmter Umweltschützer.

# **Anton Gogeisl**

\* 30. Oktober 1701 in Siegenburg

† 12. Oktober 1771 in Peking



**VVOLFGANGVS FRANCISCVS ANTONIVS GOGEISL  
 IESVITA BAVARVS  
 MISSIONARIVS STRENVVS  
 QVINQVIES QVINQVAGINTA ANNIS ANTE  
 IV IDVS OCTOBRES  
 EX VITA EGRESSVS**

\* \* \*

**ANTONIVS GOGEISL  
 RELIGIOSVS BAVARICVS  
 ASTRONOMVS PRAESIGNIS  
 QVINQVAGINTA LVSTRIS ANTE  
 IV IDVS OCTOBRES  
 PEKINI VITA CESSIT**

**MMXXI**

# ECHUS VOCES EPISTULAE

**VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS**

**Sat, 25 Sep 2021 16:00:35 +0200**

**Victorius Nicolao suo sal. plur. dicit.**

1) Antequam rem, de qua in titulo innui, explicem, te certiores facio, mi Nicolae, de binis sententiis, quas in epistulis Leoninis 242 et 243 legi. In priore epistula (pag. 20, linea 4), equidem scriberem: "leva per fissare il Venturini". In altera (pag. 11, ultima linea) melius est: "tubo dello sterzo". Optima est Epistula numero 244 signata.

2) Conventui ALF interesse haud potero idcircoque neque te conveniam quia a proxima hebdomade in valetudinario iacebo, ut sectionem chirurgiam subeam aptam (ut speraverim) ad cancrum, quo in vesica labore, extirpandum vel minus nocivum reddendum. Hac de re iam Nicum De Mico, Theodericum Sacré, Gaium nostrum Licoppe (qui hoc de cancro vesicali plura explicare potest) certiores feci. Quoniam secreta servare non curo, nihil obstat quin sodalibus tibi mihiique notis explanetur causa, quae me cogit ne Vobiscum intersim. Franciscus de La Rochefoucauld aliquo loco admonet- recte si memini - ne quis de suis ipsius morbis fusius loquatur. Tu autem erga me tam humaniter te gessisti, ut pro certo habeam te mihi ignosciturum. Optime valeas, care Nicolae.

\*\*\*\*\*

Vivitur ingenio, cetera mortis erunt (Andreas Vesalius).

---

Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis.

**Nicolaus Victorio sal.pl.**

Gratias plurimas pro correcturis. O care amice, utinam operatio tui medica quam optime evadat et mox reconvalescas! Haec brevissime, cetera postea addam. Medullitus te salutat Nicolaus.

## **THEODERICUS SACRÉ LOVANIENSIS**

Am 20.09.2021 um 10:26 schrieb Dirk Sacré:

### **Theodericus Sacré sodalibus ALF optimis s.d.p.**

Diebus 1 et 2 m. Oct. in aedibus Romanis Academiae Belgicae habebitur Coetus Generalis ALF. Ordinem rerum agendarum huic epistolio subiunxi. Spero fore ut multi sodales sessionibus intersint. Cum vero propter morbum illum Coronarium condiciones adhuc sint aliquatenus peculiares, humane a vobis peto ut Nicolaum De Mico sodalem et secretarium datis nuntiis quam primum certiores faciatis utrum affuturi sitis necne [[nicodemico4@gmail.com](mailto:nicodemico4@gmail.com)]. Curate ut quam optime valeatis!

### **Nicolaus Theoderico sal.pl.dic.**

Gratias tibi ago plurimas, praeses Academiae maxime honorabilis, pro invitatione tua perhumaniter scripta. Sed valde doleo, quod propter sumptus molestiasque coronarias fieri non poterit, ut mense Octobri ineunte iter faciam Romam. Habeatis, quaeso, me excusatim. Ceterum spero te iam accepisse Epistulam Leoninam 244 modo tibi missam. Haec dixi brevissime, mox certe dicam plura. Medullitus te salutat Nicolaus Groß qui et Leo Latinus.

### **Theodericus Nicolao s.d.p.**

Doleo quod Romam te non conferes, at idem rationes tuas intellego: quas (ita timeo) cum compluribus habes communes, unde vereor ne paucos admodum sodales coram ibi videam. Viderimus... **EL 244** ante horam mihi est allata et gratias pro ea tibi ago plurimas. **Nonne ipsa rubicundis, ut aiunt, genis erit evolvenda?** Tu vero pancratice vale!

**Nicolaus Theoderico s.** Gratias pro responso prompto. Quod spectat ad genas rubicundas EL 244 insipientium, legas monitum Forbergianum necnon carmen Beccadellianum quod sequitur. Vale semper, medullitus te salutat Nicolaus.

**MONITUM FORBERGIANUM: NON INTRET CATO THEATRUM NOSTRUM, AUT SI INTRAVERIT SPECTET. ---**

**MONITUM BECCADELLIANUM: AD MATRONAS ET VIRGINES CASTAS.** *Quaeque ades, exhortor, procul hinc, matrona, recede;/ Quaeque ades, hinc pariter, virgo pudica, fuge./ Exuor, en bracis jam prosilit inguen apertis,/ Et mea permulto Musa sepulta mero est./ Stet, legat et laudet versus Nichina procaces,/ Adsueta et nudos Ursu videre viros.*

### **Theodericus Sacré sodalibus ALF optimis s.d.p.**

Thu, 30 Sep 2021 05:56:13 +0000

Digna sane sunt quae cognoscatis, sodales, incepta ea duo, quae nuntiantur in documentis huic epistolio adiunctis: alterum est de praemio, quod strenuis Latinitatis propugnatoribus donabitur, alterum de ludis quibusdam scaenicis. ‘Almae Minervae praemium’ condidit Collegium Latinitatis Hispanicum (in quo est Georgius Tàrrega, ALF sodalis), scholas vero scaenicas cum agone indixit Schola Humanistica Patavina (quam regit Iosephus Marcellino, et ipse ALF sodalis). Valete quam optime!

**Nicolaus Groß sive Leo Latinus**

**Theoderico Sacré Praesidi Academiae Latinitati Fovendae (ALF)**

sal.pl.dic.

S.V.B.E.E.V.

Theoderice Praeses maxime honorabilis,

die Saturni Zoomianae transmissionis - proh dolor - partim tantum particeps fui: duas acroases antemeridianas spectavi et audivi, deinde pauca mihi interponenda erat propter emptiones necessarias in oppidulo faciendas; post horam autem secundam postmeridianam proh dolor non iam annexum interretiale assecutus sum. Ceterum in situ Academiae interretiali nullum inveni Ordinem agendi Conventus annui - scisne, ubi talis sit?

In appendice invenies Indicem omnium vocabulorum Orbis Picti Hexaglotti.

In animo mihi est proximis septimanis tibi mittere singulas partes GLOSSARII: cui insunt vocabula, versiones 5 linguarum, interpretamenta, etyma, explicationes ad neologismos spectantes etc. Scilicet propter ingentem copiam verborum commentatiunculae ne fiant nimis abundantes, sed tamen studeo easdem exarare satis doctas atque delectabiles.

Pancratice vale, care Theoderice, et perge mihi favere.

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß sive Leo Latinus

**Theodericus Nicolao s.d.p.** Doleo quod conventiculi (si ita appellandum erat) particulam tantum audire et videre potuisti; solent adhuc quae ad rem digitalem spectant molestias afferre et praepedimenta. IV autem illae orationes non erant in rete nuntiatae, sed in litteris ad sodales omnes circummissis: hoc enim erat propositum, ut sodales ii tantum qui praesentes affuturi essent, recitationi interessent. Ultimo vero temporis momento, cum paucissimos coram affore sodales animadvertissemus, rem et Zoomice divulgare statuimus. In coetu generali, quem habuimus die Veneris, dixi de progressu lexici istius deque laboribus abs te exanclatis. Ibidem affirmavi verisimiliter fore ut res tota intra annum sequiannumve absolveretur. Nunc iam index verborum tuus allatus est. Optime! Partes eas, quas scribis, exspecto! Tum et sodales nonnulli, earum rerum periti, adhortandi erunt ad opus istud legendum ac recognoscendum. Interea vale quam optime!

## **MARCUS CRISTINI ITALUS**

Il 10/10/2021 14:05, SPQR ha scritto:

**Nicolaus Marco sal.pl.dic.**

s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, care Marce, de te studiisque tuis Latinis? Ubi nunc versaris? Esne interim sodalis Academiae Latinitati Fovendae factus? Fuistine particeps conventus Academiae annui? Personaliter an interretialiter? Accepistine Epistulam Leoninam 244?

Equidem fere totus deditus sum Orbi Picto Hexaglotto componendo, cuius alterum tomum, i.e. Glossarium, nunc quadamtenus parturio. Velim tibi, si permiseris, proximis septimanis mittere glossas. In appendice invenies Indicem omnium vocabulorum huius lexici. Inspicias, quaeso, et scribas mihi quidquid in buccam tibi venerit. Necnon narra mihi de vita tua, de studiis deque curis et gaudiis, ut fiat colloquium inter nos litterarum vivacissimum, quo animi nostri mirum quantum refocillentur. Vale pancratice, sodalis carissime, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus qui et Leo Latinus.

### **Marcus Nicolao s.p.d.**

Gratias tibi maximas ago, care sodalis, pro epistula tua humanissima proque indice verborum Orbis Picti. Hebdomada proxima praeterita Romae sessionibus Academiae Latinitati Fovendae personaliter (vel, ut verbis sancti Pauli utar, facie ad faciem) magna cum laetitia interfui, oratiunculam aditiale habui et sodalis factus sum. Magno mihi est honori in coetu illo doctissimo numerari et gratias imo ex corde ago iis sodalibus, qui nomen meum commendaverunt.

Quod ad me attinet, nunc Tubingae versor, ubi usque ad mensem Iulium manebo ut librum de rege Gothorum Baduila seu Totila apud universitatem studiorum scribam. Interea fragmentis quoque panegyricorum Cassiodori Senatoris studeo et, ut ad Latinitatem recentiorem transeam, nuper brevem symbolam de oratione Latina Oxoniensi ad Ioannem R.R. Tolkien laudandum *Voci Latinae* misi, quae ante paucos dies - ni fallor - typis tradita est. Commentario quoque longiori (Anglice exarato) operam do de primis fabellis Tolkienianis deque vestigiis Vergilianis in eis repertis. Mea sententia iuvenis Tolkien *Aeneida* memoria tenebat cum mythologiam suam pangere incepere!

*Epistulam Leoninam* 244 accepi et libenter legi. Tibi gratulor de optima explanatione teleplani, aeronavis quae maximi est momenti in bellis hodiernis, ut nuper ostendit (exempli gratia) victoria Atropatenorum (sive Azerorum) adversus Armenos. Perge res recentissimas Latinitate induere!

Libenter glossas Orbis Picti inspiciam; indicem iam raptim vidi et diligentiam tuam laudo. Index enim verborum pars est maioris momenti cuiusvis libri, quem autem haud pauci aut neglegunt aut omnino omittunt. Si sententiam meam aperire possum, inter numeros paginarum (e.g. 559,600) spatium addere mihi utile videtur (itaque 559, 600), cum Anglice 559,600 est unus numerus. Hoc paucis secundis perficies si favente "quaerere et substituere" lamina in plagula electronica indicis omnes virgulas quae siveris et in earum locum virgulam et spatium miseris. Ceterum, fortasse verba similia (e.g. *lobus*, *lobus frontalis*, *lobus lateralis inferior* et sic porro) scribi possunt litteris minoribus praeter vocabulum primum (hic *lobus*). Minutiae autem sunt. Orbis Pictus Hexaglottus est inceptum laudandum, quod procul dubio magnum adiumentum ad Latinitatem re vera Latinam propagandam adferet, ut ea fere omnes ambitus societatis modernae amplectatur.

Cura, ut pancratice valeas.

**Nicolaus Marco s.**

Summas gratias, care sodalis, quod tam prompte, tam facunde tamqua perite mihi respondisti. Semper gaudeo de commendationibus tuis. Utinam opera tua Latina et vernacula eveniant quam felicissime!

Medullitus te salutat Leo Latinus

**OSCAR WIDHOLM SUETUS OSLOENSIS**

**Sat, 25 Sep 2021 15:19:31 +0200**

**Salve Nicolae**

Gratias tibi ago, pro epistula leonina ducentisima quadragesima quarta. Epigrammata vel carmina Beccadelli, quae plus eruditionis quam petulantiae praebent, iam perlegeram. Certe nugae illae lucernam olen, ut quidem sentio, potius quam unguentis et aromatibus, quibus tempa Veneris fragrare solebant, ubi corpus vulgabant meretriculae, Erycinae, omnium deorum crudelissimae, dicatae. Languorem autem, quod vulgo dicitur, legentium animis minime afferunt. Elegans et dicaculus, ut humanistas italicos decet, Beccadellis noster apinas tricas suas effutiebat. Nec Satyra sotadica de arcanis amoris et Veneris mihi ignota erat. Sane auctor, gallicus ille Nicholaus Chorier, causidicus et scriptor rerum gestarum, ni fallor, eximiam latitatem et copiam uberrimam verborum, quae ad res venereas pertinent, praebet. Neminem latet Nicholaum Chorier Alosiae Sigeaae Toletanae hispanicae eruditae, quae inter alia dialogos inter virgines probas exaravit, opusculum illum eroticum irriguisse. Fortasse hi sermones lepidi et aliquantulum procaces, Petrum Louÿs (Pierre Louÿs), alium lusorem amorum tenerorum, et in dicendo mordacem, extimularunt ut dialogos suos spurcissimos et libidine sadiana supra modum instinctos conscriberet. Opus eroticum enim Petri Louÿs etiam speciem prae se fert librorum didascalicorum, etsi argumentum scilicet non nisi ad luxuriam spectat. Attamen, honos sit auribus, de scriptoribus vernaculis in foro latino loquor! Impensius imbutus litteris gallicis, quippe qui de tenero ungue Lutetiae cuiusdam parisiorum animo fictae vitam egerim, quodam modo, quamquam parum in venerem proclivis, gallico morbo labore,. Qua de re, nimium tempus in lectione scriptorum eroticorum gallicorum pariter aetatis renascentis et saeculi duodevicesimi contrivi. Erotologus autem ille Fridericus Carolos Forberg mihi notus non erat. Libellum igitur eius De figuris Veneris statim ex interrete (ex situ quod google books vocatur) prehendi, cum haud facile hoc opus in bibliotecis inveniatur. Utinam autumnus messem tibi opimam afferat.

Cura ut valeas

**Nicolaus Oscario sal.pl.**

Plurimas gratias pro epistula prolixâ, quâ fusê explices, quid tibi videatur de erotologiâ Latinâ. De *Nicolao Chorier* iam scripturus sum symbolam; mihi in promptu est quaedam editio *Aloiseae* critica. Ceterum *Forbergius* eximiê laudat

Latinitatem Chorierii florentissimam. *Petrum Louys*, ut verum confitear, cum omnino nesciam, in eius opus incumbam proximam occasionem nactus. Novistine fratres *Beham* pictores Norimbergae impios, qui saeculo sexto decimo lascivas picturas pinxerunt? Latinê redditurus sum symbolam de iisdem scriptam. Haec hactenus raptim; cetera postea, si volueris, libentissimê. Medullitus Nicolaus.

## **PROF.TIM PIETZCKER ULMENSIS**

Fri, 9 Jul 2021 15:53:10 +0200

**Prof. Tim Pietzcker**

Lieber Herr Dr. Groß,

John Linnell von der Rockband They Might Be Giants hat die COVID-bedingte Isolation dazu genutzt, ein Album mit Liedern auf Latein aufzunehmen: [https://boingboing.net/2021/07/09/one-of-the-johns-from-they-might-be-giants-has-a-new-ep-of-songs-in-Latin.html?utm\\_source=rss&utm\\_medium=rss&utm\\_campaign=one-of-the-johns-from-they-might-be-giants-has-a-new-ep-of-songs-in-latin](https://boingboing.net/2021/07/09/one-of-the-johns-from-they-might-be-giants-has-a-new-ep-of-songs-in-Latin.html?utm_source=rss&utm_medium=rss&utm_campaign=one-of-the-johns-from-they-might-be-giants-has-a-new-ep-of-songs-in-latin)

Direkter Link zum Album: <https://tmbgshop.com/collections/all/products/john-linnell-roman-songs>

Der Musikstil ist vermutlich nicht jedermanns Sache, und vermutlich kann man auch über die Aussprache und andere Feinheiten streiten, aber ich dachte, das interessiert Sie vielleicht .

Viele Grüße

Tim Pietzcker

## **ANDREAS FRITSCH BEROLINENSIS**

**Nicolaus Andreae sal.pl.**

**Sat, 25 Sep 2021 17:39:42 +0200**

Modo te vidi acroasin (Zoomianam) *Francisci Ploton-Nicollet* audientem et audivi te ex illo quaerentem, **quānam re Lucanus in odium Neronis venisset**. En lege, quomodo Suetonius explicet odium Neronis: subest facinus poetae omnino indecorum, quo artem poetandi Neronis irrisit necnon maiestatem eius laesit gravissimê! Phu diabole! Vae Lucano! Haec hactenus brevissimê, mi care sodalis, mox certê plura. Vale pancraticê! Medullitus te salutat Nicolaus.

**SUETONIUS, De viris illustribus: De poetis, cap.XXXIII M.Annaeus Lucanus.** Revocatus Athenis a Nerone cohortique amicorum additus atque etiam quaestura honoratus, non tamen permansit in gratia: si quidem aegre ferens, <quod se> recitante subito ac nulla nisi refrigerandi sui causa indicto senatu recessisset, neque verbis adversus principem neque factis excitantibus post haec temperavit: adeo ut **quondam in latrinis publicis clariore cum crepitu ventris hemistichium Neronis magna consessorum fuga pronuntiarit:**

*sub terris tonuisse putas.*

Sed et famoso carmine cum ipsum, tum potentissimos amicorum gravissime proscidit.

Ad extremum paene signifer Pisonianaे coniurationis extitit, multus in gloria tyrannicidarum palam praedicanda ac plenus minarum, usque eo intemperans, ut Caesaris caput proximo cuique iactaret.....

**Andreas Nicolao s.**

Celeriter ac breviter, sed sincere Tibi, Nicolae, optime virorum, gratias ago, quod me de Suetonii textu brevi monuisti, quem ille de vita Lucani scripsit. Mirum, quod Franciscus ipse id non commemoravit. •

Valde autem gavisus sum, quod heri Te inter auditores vidi; sed propter aliud negotium non prius nec diutius potui sessioni zoomicae interesse. •

Fortasse Tu legisti illum commentarium, quem Uwe Walter, professor historiae antiquae, de me die natali meo in actis diurnis, quibus titulus est F.A.Z., publicavit (legas, si volueris, appendicem huius epistulae).

• Nunc octogenarius factus tandem intellego (et sentio), quae Seneca (qui solum quinque et sexaginta fere annos complevit) in initio epistulae duodecimae scripsit: "Quocumque me verti, argumenta senectutis meae video."


(Ridentem dicere verum quid vetat? Optare enim solent "senes ut in otia tuta recedant", ut Horatii verbis [ab]jutar)

Tu autem, Nicolae carissime, bene vale et saluta uxorem tuam verbis nostris (id est etiam Irenae).

Haec scripsit Andreas Berolinensis,  
admirator scientiae et industriae Tuae.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

# CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA




Zum 18. Oktober, dem **Fest des heiligen Evangelisten Lukas**:

2021\* LVCas, fVIsti MeDICVs sapIens et eXpertVs, eVangeLista VerItatIs et soCIVs VeteranVs PaVLI nostrI, ora pro nobIs– Lukas, du warst der weise und erfahrene Arzt, Evangelist der Wahrheit und ein altgedienter Begleiter unseres Paulus, bitte für uns!

Zum 17. Oktober, dem **Fest des heiligen Ignatius von Antiochien**:

2021\* IgnatIVs TheophorVs antIoChenVs epIsCopVs fortIs MartYr IesV ChrIstI panIs pVrVs et VerVs a LeonIbVs LIberIs DILanIatVs est. – Ignatius Theophorus\*, Bischof von Antiochien, tapferer Märtyrer Jesu Christi, ist als reines und wahrhaftiges Brot von frei gelassenen Löwen zermahlen worden\*\*. – Ignatius von Antiochien, der sich in seinen Briefen an die Gemeinden, die er auf der Reise zum Martyrium in Rom besuchte, „Theophorus“ = „Gottträger“\* nannte, war kein Masochist, sondern wollte, \*\* wie er im Brief an die Römer schrieb, „als reines und wahrhaftiges Brot“ von den Löwen in der Arena wie reines und wirkliches Mehl zermahlen werden. – Ignatius von Antiochien, ca. + 107 in der Arena Roms von Löwen getötet. - Variante: 2021\* IgnatIVs AntIoChenVs epIsCopVs fortIs MartYr IesV ChrIstI Vo LVntarIVs a LeonIbVs ferIs Vere qVasI panIs DILanIatVs est. – Ignatius von Antiochien, Bischof und tapferer Märtyrer Jesu Christi, ist freiwillig von wilden Löwen wirklich wie Brot zermalmt worden.




Zwei weitere Etappen von Fest zu Fest auf dem Chronogrammatischen Jahresweg 2021 – herzlichst, Pe. Herbert Douteil, CSSp.

Zum 22. Oktober, dem **Fest des heiligen Papstes Johannes Paul II.:**

2021\* eIa, oMnIa Mea sIne fIne tVa sVnt, o VIrgo pIa et fortIs. – Oh ja, alles, was mein ist, gehört immer dir, o Jungfrau! – nach Grignon von Monfort im Goldenen Buch: totus tuus!, was zum Wahlspruch von Johannes Paul II. wurde.

2021\* eIa, totVs tVVs sIne fIne, MarIa Mater pIa et fortIs – Ja, ich bin immer ganz dein, Maria, gütige und starke Mutter! – Wahlspruch des Heiligen

2021\* Is MarIae aIt: eIa, sIne fIne tVVs sVM! - 2021\* MarIa aIt: eIa,, et tV erIs sIne fIne totVs MeVs! - Er sagt zu Maria: Ja, ich bin ganz dein! - Maria sagt: Oh ja, und Du wirst ganz mein sein! – Gespräch zwischen Johannes Paul und Maria als Doppelchronogramm



Zum 23. Oktober, dem **Todestag von Bischof Heinrich Rüth CSSp.**  
2021\* **HenrIqVe RVeth nobIs aIebat: spIrItanI est MInIstrare, non MInIstrarI!** – Heinrich Rüth sagte uns: Das Zeichen eines Spiritaners ist es, zu dienen, nicht bedient zu werden. - Dom Henrique Rüth, CSSp. (\* 04/01/1913, Priesterweihe 05/09/1939, Bischofsnennung: 22/06/1966; Bischofsweihe: 02/10/1966, Rücktritt 07/12/1988, + 23.20.2006) – Er hatte zwei Wahlsprüche: cor unum et anima una (ein Herz und eine Seele, Apg 4,32, der Wahlspruch der Spiritaner), und den eigenen: ministrare, non ministrari (dienen und nicht bedient werden – Mt 20,28), was er durch seinen unermüdlichen Einsatz als Missionar, Mitbruder und auch als Bauherr und in seinen Sozialwerken verwirklichte – im Chronogramm die brasilianische Form seines Namens Heinrich = Henrique

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90


28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius ----- --		2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207A	978-3-938905-28-9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius		2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM QUADRAGESIMAM QUINTAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Mercurii  
27. m.Oct. a.2021**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**